

His tribus speciebus addenda est Simonia quae *confidentialis* appellatur. Committitur autem, dum aliquis beneficium ecclesiasticum confert aut resignat, vel ad illud praesentat aut eligit, vel electum aut praesentatum confirmat aut instituit cum certa confidentia et obligatione, id est cum expresso vel tacito pacto seu conditione, ut accipiens beneficium, tanquam ex debito beneficium ipsum sibi aut alteri, puta fratri, nepoti, intra certum temporis spatium iterum cedat seu resignet, aut illius fructus vel eorum partem persolvat. Ad hoc Simoniae genus extirpandum Pius IV Constitut. edidit die 4 Decemb. 1564 incip. ROMANUM PONTIFICEM, et alteram Pius V die 5 Augustini 1569 quae incipit INTOLERABILIS, attente diligenterque consulendas. Ex his Constitutionibus intelligitur Simoniam confidentialis quatuor modis committi, accessu nimirum, regressu, ingressu, et stipulatione fructuum vel pensionis. *Accessus* est, quando is qui ad beneficii collationem concurrens eligendo, praesentando, aut confirmingo ex inito pacto considit idem beneficium sibi vel alteri resignatum iri, veluti si quis beneficium accipiat initio pacto cum patrono illud suo tempore resignandi in favorem alterius qui nondum per aetatem habilis est. *Regressus* est, cum quis ea conditione beneficium resignat, ut resignatarius sibi vel alteri idem beneficium redditurus sit; puta si quis infirmitate correptus alteri beneficium suum resignet cum pacto in idem beneficium regrediendi si convaluerit. *Ingressus* est, cum quis beneficium sibi collatum et nondum possessum eo pacto resignat, ut in illud postea ingrediatur, si resignarium vita periclitari, aut meliori beneficio donari contigerit. Denique *stipulatio pensionis* est, cum quis patrono praesentanti, aut resignanti, aut conferenti, seu alteri spondet redditus beneficii, aut pensionem soluturum. Porro ad simoniam confidentialis postulatur, ut accessus aut ingressus, aut regressus sint in unum idemque beneficium: quamobrem non confidentialis, sed conventionalis Simonia erit, si quis beneficium

ea conditione resignet, ut resignarius non idem, sed aliud beneficium quod possidet in favorem tertii dimittat. Itemque si praesentans, eligens, aut conferens pretium temporale aliquod, non tamen fructus beneficii, sed aliquam ex eo pensionem stipuletur, erit Simonia non tamen confidentialis; secus enim Simonia omnis confidentialis dicenda foret, quod falsum est; idque probe notandum erit ob diversitatem poenarum quibus variae Simoniae species afficiuntur.

Quoniam autem, ut initio diximus, malitia Simoniae in eo sita est, quod res spiritualis aut spirituali adnexa, cuius pretium longe rerum omnium terrenarum valorem excedit, per emptionem et venditionem, vel similem contractum pro re temporali, tanquam ejus pretio, commutetur; hinc singillatim explicandum est quid nomine pretii, seu rei temporalis in hac causa intelligatur. Jam vero hoc nomine venit quidquid rei temporalis pro re spirituali datur aut promittitur, et dicitur pretium aut munus, et triplex est ex S. Gregorio Papa in cap. SICUT NONNULLI caus. 1 q. 1. « Aliud enim, » inquit, « est munus ab obsequio, aliud munus a manu, aliud munus a lingua. Munus quippe ab obsequio est subjectio indebita impensa, munus a manu pecunia est, munus a lingua favor. » Igitur munus ab obsequio quodlibet temporale ministerium aut obsequium, ex. gr. famulatus, administratio rerum, negotiorum gestio, et aliud ejus generis temporale opus intelligitur, quod in commodum et utilitatem alterius expresso vel tacito pacto pro re spirituali promittitur aut praestatur, veluti si quis patroni liberos ad litteras informet expresse vel tacite, ut ab eodem ad beneficium praesentetur. Per pecuniam, quae munus a manu est, res omnes pretio aestimabiles sive mobiles, sive immobiles, sive corporales, sive incorporales, mutationes pecuniarum, debiti remissiones, aliasque hujusmodi intelliguntur. « Totum enim, » ut legitur can. TOTUM 1 q. 3, « quidquid homines habent in terra, omnia quorum domini sunt, pecunia vocatur: servus, vas, ager,

arbor, pecus, quidquid horum est, pecunia dicitur. Ideo autem pecunia vocata est, quia antiquitus quod habebant, in pecoribus habebant. » Itaque munus a manu est, si quis pro ecclesiastico beneficio debitum, pensionem, aut temporalem mercedem, quae sibi solvenda esset, patrono vel collatori remittat. Denique per munus a lingua juxta Piringh in Decretal. lib. 5 tit. 3 n. 435, et communem Doctorum sententiam « comprehenduntur laudes, commendationes, et preces quae pro aliquo interponuntur, et quidem ex vi pacti expressi vel taciti, ut res spiritualis vicissim detur. Ut si v. gr. collator promittat se collaturum alicui beneficium, si pro se apud Principem intercedat, vel se ei commendet. » Quamobrem preces, laudes, commendationes rationem habent simoniaci pretii, non quidem simpliciter et ex vi sua consideratae, sed quatenus ex pacto tacito vel expresso conferenti rem spiritualem possunt humanum favorem conciliare, quem hujusmodi favor pecuniae aut rei temporali aequiparari queat.

Non defuerunt Scriptores qui nullam Simoniae labem, si munus non tanquam pretium rei spiritualis detur, sed duntaxat tanquam motivum seu gratuita compensatio, ut alter ad dandum spirituale excitetur aut moveatur. In hanc rem duea ab Innocentio XI propositiones damnatae, quarum una est : « Dare temporale pro spirituali non est Simonia, quando temporale non datur tanquam pretium, sed duntaxat tanquam motivum conferendi vel efficiendi spirituale, vel etiam quando temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali, aut e contra. » Altera est : « Et illud locum habet etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale, etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris aestimetur quam res spiritualis. » Ex quibus compertum est ad patrandum Simoniae crimen non semper requirei expressam conventionem seu pactum, sed implicitam et interpretativam sufficere, qua quis det temporale animo alterum obligandi aut movendi ad dandum spirituale, vel vice versa, quandoquidem terrena

lucra movere non debent ad spiritualia dispensanda, sed utilitas Ecclesiae et merita personarum.

## § 237.

## DE REDIMENDA INJUSTA VEXATIONE.

Hic quaeritur an si quis injustum impedimentum ponat, quominus beneficium aliamve rem spiritualem consequamur, liceat injustam vexationem pecunia redimere. Quia in re videatur distinguendum, an is cui impedimentum opponitur verum jus ad rem spiritualem acquisitum habeat, nec ne. Si primum, non est Simonia, quia nihil spirituale tunc emitur, sed tantum removetur injuria ab eo illata qui obesse potest, non autem prodesse : secundo casu vera Simonia est, quod via ad rem spiritualem pecunia comparatur. Apposite S. Thomas 2 2 q. 100 art. 2 : « antequam alicui acquiratur jus in Episcopatum, vel quamcumque dignitatem, vel praebendam per electionem, vel provisionem seu collationem, simoniacum esset adversantium obstacula pecunia redimere, sic enim per pecuniam pararet sibi viam ad rem spiritualem obtainendam. Sed postquam jus alicui jam acquisitum est, licet per pecuniam injusta impedimenta removere. »

Altera priori affinis quaestio est, an simoniaci sint qui ex pacto ad finiendam litem super re spirituali transigunt aliqua re spirituali vicissim data et accepta. « Super eo, » inquit Alexander III cap. de Transact., « quod quaequivisti, utrum ab ecclesiastico beneficio in litigium deducto possit fieri transactionis, tale damus responsum, quod transigi super re sacra et litigiosa non potest. Etenim res sacrae ut possideantur aliquo dato et retento sive promisso, speciem credimus habere Simoniae. » Et in cap. CONSTITUTUS sic habetur : « Quia hujusmodi transactiones speciem continent Simoniae, mandamus quatenus revocata transactione in irritum causam audiatis. »

## § 238.

## DE POENIS CONTRA SIMONIACOS LATIS.

Nefarium et execrabile crimen Simoniae semper Ecclesia detestata est, variisque poenis pro criminum gravitate in simoniacos animadvertisit. Sunt tamen certae poenae a Jure Canonico sancitae, ipsoque facto incurriendae, si in collatione et susceptione Ordinum aut Beneficiorum, aut in Religionis ingressu Simonia patrata fuerit. Poenae autem sunt hujusmodi. Et 1. quod spectat Simoniam realem in Ordinum susceptione et collatione, si haec Simonia occulta sit, tam conferens quam suscipiens Ordines ipso facto excommunicationem incurront. 2. Ordinibus initiatius suspensus est tum ab executione Ordinis quem simoniace suscepit, tum ab exercitio aliorum Ordinum quos antea non simoniace suscepit, Ordinans autem a quocumque Ordinum et primae etiam Tonsurae collatione, et a munere omnium Pontificalium executione ipso facto suspensus, et Ecclesiae ingressu interdictus est. Quod si Ordinans interdictum violet, non modo irregularitatem, verum etiam suspensionem incurrit a regimine et administratione Ecclesiae sua, et a perceptione fructuum Beneficiorum; Ordinatus vero, si ita suspensus actum Ordinis exerceat, irregularitatem incurrit, atque etiam privationem Beneficiorum omnium atque officiorum, et ad ea obtainenda inhabilitatem: Regulares vero incurrint etiam privationem vocis activae et passivae, et inhabilitatem ad dictam vocem habendam: neque ab his censuris, nisi a Romano Pontifice, absolvit possunt. At si manifestum sit crimen Simoniae, tam Ordinans quam Ordinatus praeter supradictas poenas a gradu suo et ecclesiastico beneficio deponendus est. « Qui enim per pecuniam quemque consecraverit, vel ab eo consecratus est, alienus a Sacerdotio fiat, » can. QUI PER PECUNIAM caus. 1 quaest. 1.

## § CCXXXVIII. DE POENIS CONT. SIMON. LATIS. 341

Adversus Simoniam realem in Beneficiorum collatione et susceptione patratam triplex poenarum genus est. 1. Est poena excommunicationis. 2. Est invaliditas collationis simoniaca factae. 3. Est inhabilitas ad ecclesiastica officia et beneficia. Primo itaque quicumque ecclesiasticum beneficium vel officium sive saeculare, sive regulare conferunt, aut eligendo, postulando, praesentando aut aliis modis directe vel indirecte procurant, et quicumque simoniace acquirunt ipso jure et ipso facto excommunicationem Pontifici reservatam incurrint. Secundo hujusmodi simoniaca collatio, provisio et acquisitionis ipso jure nulla est, ita ut beneficiatus sub gravis culpe reatu beneficium dimittere, fructusque omnes quos perceperit restituere teneatur. Demum Beneficiarius inhabilis sit non solum ad idem beneficium vel officium denuo obtainendum, sed etiam ad quaecumque alia beneficia assequenda; quin etiam beneficiis antea canonice acquisitis per sententiam Judicis privari poterit.

Verum confidentialis Simoniae graviores poenae sunt; nam praeter excommunicationem ipso facto incurrandam, et privationem tum beneficii per Simoniam acquisiti, tum alterius cuiuscumque beneficii, aut pensionis etiam canonice prius obtentae, atque inhabilitationem ad idem beneficium et ad alia quaecumque assequenda, collatio beneficii per Simoniam confidentiale dat vel accepti soli Romano Pontifici reservatur, fructusque male ex eo percepti Apostolicae Cameræ applicantur. Sed petes: quid juris est, si non quidem ab eo cui beneficium collatum est, sed eo prorsus inscio ab alio, puta ab ejus patre, Simonia commissa sit? Dico autem, quod Ecclesia in detestationem criminis Simoniae omnino jubet, ut hujusmodi Beneficiarius, cum primum Simoniam fuisse patratam agnoverit, beneficium etiam ante sententiam Judicis dimittat: « Secundum sacrorum Canonum instituta, » ait caput Sicut tuis 33 de Simonia, « etiam parvuli, qui cupiditate parentum Ecclesias per pecuniam sunt adepti, eas

dimittere tenentur. » At in cap. Nobis fuit eodem excipitur casus : « nisi constaret illos qui promissum tale, nempe simoniacum fecerunt per fraudem in dispendium illius qui eligendus erat, id malitiose fecisse, » ut scilicet tali pacto ab assecutione beneficii inhabilis redderetur. Altera exceptio est, cum quis sciens ab alio Simoniam committi, adversum illam protestetur; si enim protestante prorsus inscio Simonia adhuc compleatur et beneficium simoniace conferatur, Beneficiarius non obstringetur ad beneficium hujusmodi abdicandum; « quoniam ex eo quod contra prohibitionem et voluntatem tuam aliquis, te prorsus ignorante, promisit pecuniam et exsolvit, nihil tibi debet ad poenam et ad culpam imputari, » ut loquitur cit. cap. SICUT TUIS de Simon. Aliqui Doctores tertium casum excipiunt, dum scilicet aliquis per triennium beneficium possedit bona fide, quod illa verba absque *simoniaco ingressu* videntur omnino postulare, ut Simonia ab ipso ingrediente, vel eo saltē sciente patrata sit.

Denique adversus Simoniam in ingressu Religionis et professione patratam lata est excommunicatio contra personas singulas dantes et accipientes, et suspensio ab officiis capitularibus in Monasterium si consenserit. Utraque poena ipso facto contrahitur ac Pontifici reservatur. Extravag. SANE de Simonia. Is autem qui scienter per Simoniam professus est, in aliud Monasterium arctius detрудi debet ad criminis poenam luendam, can. 25 de Simonia. Ne tamen simoniacum putas quidquid pro ingressu et admissione in Religionem aut recipitur, aut solvitur; nam ut tradit S. Thomas 22 quaest. 100 art. 3 : « Pro ingressu Monasterii non licet aliquid exigere vel accipere quasi pretium; licet tamen, si monasterium sit tenuerit, quod non sufficiat ad tot personas nutritandas, gratis quidem ingressum exhibere, sed accipere aliquid pro victu personae quae in Monasterio fuerit recipienda, si ad hoc non sufficient Monasterii opes. » Hac de re multa tradit Benedictus XIV de Synod. Dioeces. lib. 11 cap. 6.

## CAPUT III.

## DE POENIS ECCLESIASTICIS.

## § 239.

## DE NATURA POENARUM ECCLESIASTICARUM, EARUMQUE DIVISIONE.

Poenae vel corpus afflidunt vel animam, et omnes eo spectant ut criminosi homines coercentur, et caeteri exemplo poenae a delictis se abstineant. Si quis delicti poenam ducat in corpore, quem nempe vinculis, verberibus, exilio aut morte multetur, hujusmodi poenae *corporales* dicuntur: si vero privetur participatione Sacrorum, videlicet Sacramentis Sacrificiis, Sacris officiis, et omni ecclesiastica potestate, quem haec ad affligendam animam pertineant, poenae *spirituales* appellantur.

Hic autem quaeritur, an Ecclesia utroque eo poenarum genere in santes animadvertere possit? Jam vero quem Ecclesia duplex forum habeat, internum nimirum seu poenitentiale, et externum, atque ideo supplicem etiam tum internam, tum externam potestatem teneat; forum enim sine congrua potestate nec esse potest, nec intelligi, plane consequitur eam non modo spiritualibus poenis, sed etiam corporalibus jure meritoque semper usam esse, criminum reos plectendo verberibus, flagellis, detrusione in monasterium aut in carcерem, exilio, mulcta pecuniaria, aliisque poenis ejusdem generis. Quae quidem potestas antiquissimorum Patrum atque Scriptorum, Pontificum quoque et Conciliorum auctoritate comprobatur. Hac de re jam dictum est in Jure publ. Ecclesiastico § 7 et 8 lib. 1. At vero quoties criminis enormitas et magnitudo ea est ut ecclesiasticae coercionis rationem et modum supereret, Ecclesia quae mitiores poenas usurpare solet, et